

Friedrich-Universität Bützow

Rector Et Concilium Academiae Fridericianae Buetzoviensis Cives De Nativitatis Jesu Christi, Servatoris Mundi Memoria Pie Celebranda Monent : Præmittitur Particula Quinta Commentationis De Vero Sensu Decreti Apostolici, Act. XV.\$d[P. P. Buetzovii, In Academia Fridericiana, Ipsis Natalitiis Christi, MDCCLXXIV.]


Buetzovii: Typis Ioann. Gotth. Fritzi, [1774]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1775800563>

Druck Freier  Zugang







RECTOR ET CONGREGATIO

ACADEMIAE FRONDOVENSIS

DE THEOLOGIA

COLLEGIUM

NAVIUM

IESU CHRISTI

SERVATORIS

MEMORIA

ET

RECTORUM

ACADEMIAE FRONDOVENSIS

LIBRARIUM



FRONDOVA

MDCCCLXXXV

FRONDOVA

FRONDOVA



I. N. J.



Gravissimam istam causam de vero sensu decreti apostolici, Act. XV, quam olim jam per aliquot particulas disputare cœpimus *), cum per alias disquisitiones, quæ inciderant, quasque temporis ratio postulabat, tantisper interrupta esset, nunc quidem denuo in manus sumere, & deinceps absolvere, non incongruum & præsentis temporis necessitatibus vehementer accommodatum fore, arbitramur. Etenim id imprimis agitur ab iis, qui nostra aetate pristinam doctrinæ formam nobis eripere, aliamque substituere summo animi impetu enituntur, ut tum priscas notiones de persona

a 2

*) Particula IV. Programmati paschali, MDCCLXXI, materiam præbuerat.

sona & officio servatoris tollant, tum fidei salvificæ formam & naturam reliquasque partes viæ ad salutem, prouti istæ quidem in ecclesia nostra ex scriptura s. adhuc traditæ sunt, evertant, totoque cœlo diversas notiones hominum mentibus instillare cupiant. Progrediamur igitur, juvante Deo, cœpto tramite.

Ex iis, quæ in superiori particula de objecto fidei disputata sunt, apparet, quam vehementer fallantur isti, qui fidem, qua servamur, collocant in obedientia erga præcepta Christi moralia, sub spe vitæ æternæ. Etenim Christus, inquiunt, tanquam divinus veræ virtutis doctor, æternas istas leges justî & honesti magis perspicue exposuit, quam antea factum erat, easque novis quibusdam institutis munivit: has proponit cunctis, ut, qui sincero animo iis obtemperant, veræque virtuti & bonis operibus secundum Christi præcepta student, vitam habeant æternam. Hi igitur ordinem & viam salutis æternæ collocant in virtutis bonorumque operum studio, objectumque fidei constituunt institutionem Christi, ad virtutem & bonos mores pertinentem, quatenus cum his a Christo, tanquam legato divino, conjuncta sit promissio vitæ æternæ. Hoc vero totum, quemadmodum nihil continet, nisi religionem naturalem, Christusque nihil aliud sit, nisi doctor & instaurator viæ ad salutem, quæ jam natura omnibus panditur, sicque id tollitur, quod præcipuum est in religione revelata, reconciliatio nimirum hominis peccatoris cum Deo per mediatorem Christum, qua re tota scriptura s. omnes imprimis paginæ novi Test.

profelytos ex gentibus, nullo modo ablegant ad ulla virtutis opera, nec virtutis studium secundum Christi præcepta moralia instituendum inquirunt illud esse, in quo versetur fundamentum & ratio salutis, aut quo nitatur venia peccatorum benevolusque Dei favor erga nos, sed simpliciter omnia referunt ad Christum ejusque gratuitum munus. Quod si apostoli istam viam salutis constituere, istamque notionem fidei salvificæ inducere voluissent, quam illi, contra quos hoc loco disputamus, tuentur; dixissent sane: *non opus est cæremoniis judaicis, sed virtutis & bonorum operum secundum æternas justis & honestis leges studium, ad quod Christus nos instituit, est istud, per quod vitam & salutem consequimur.* Sed num quis, obsecro! qui verum videre velit, hanc quidem sententiam in Petri apostoli verbis invenire possit? Non opponit iste quidem cæremoniis judaicis opera legis naturalis, ut in his, non illis quidem exercendis vitam habeamus; sed abstrahendo animum tum judæorum tum profelytorum gentilium a cunctis propriis actibus, opponit his quidem gratiam Christi gratuitumque munus ejus, nec respectum istum, quo homo in hoc negotio Christum intueri debeat, sive objectum fidei, in eo ponit, quod ille sit doctor virtutis, cujus exercitio deinceps salvi fiamus, sed in isto, quod sit causa & auctor salutis, eamque gratis omnibus dispenset, qui servari cupiunt, ideoque totam causam collocat in officio Christi mediatorio, ejusque beneficiis: qua quidem re homo eo perducatur, ut τῆς πατρίας particeps fiat, sive ut de recuperato favore Dei, ejusque propitia voluntate,



te, de venia peccatorum, de paterno affectu Dei erga nos certus esse, in eoque acquiescere, sicque ad Deum filiali fiducia accedere, & sine servili formidine ipsi gratias referre, ipsum diligere tanquam supremum benefactorem, ipsique sincero animo servire possit. Nam hæc omnia comprehenduntur voce *συνησιος*: quod quidem in superioribus particulis demonstratum est. Conf. ROM. V, 11. EPHES. I, 4. ff. CAP. II, 10. CAP. III, 12. TIT. II, 11 - 14. CAP. III, 3. ff. Christo igitur ipsi ejusque gratuito muneri, non vero virtutis studio secundum ipsius præcepta instituendo, fides cuncta ita accepta refert, ut in solo Christo gloriatur, I CORINTH. I, 30. seq. atque id quidem est verum objectum fidei ex apostolorum decreto. Nec de lana caprina, aut de rebus levioris momenti hoc loco disputari, ex iis patet, quæ adhuc dicta sunt. Totius salutis humanæ causa agitur, & præcipuum omnis religionis caput, quo fundamento nixus animus hominis peccatoris in tota vita & in ipso mortis articulo se ad Deum erigere, bonamque spem fiduciamque concipere, & in quanam re acquiescere possit & debeat. Qui aliud fundamentum nobis monstrant, quam quod a Deo in scriptura s. nobis monstratum est, & quo ab Apostolis Domini ablegati sumus, procul dubio male consulit salutis humanæ, nec levioris momenti errorem, sed plane alienam religionem inducere audet. Jam vero istos homines, qui fidem collocant in obsequio erga præcepta moralia, Christumque in negotio salutis intueri jubent duntaxat tanquam præcipuum doctorem virtutis,

tutis, eumque hoc præcipue respectu objectum fidei esse contendunt, longe aliud fundamentum, cui spes, fiducia, venia peccatorum, accessusque mentis ad Deum superstrui debeat, ostendere, quam ad quod nos apostoli revocarunt, perspicuum est. Hi enim concludunt & decernunt, Christum a nobis tanquam auctorem & dispensatorem totius salutis intuendum, & in ejus gratuito munere unice acquiescendum omnemque fiduciam animi reponendam esse. At isti, qui nobis hac in parte adversantur, aliamque fidei notionem proponunt, Christus, inquit, tanquam legatus & doctor divinus viam virtutis tibi ostendit, ut eam calcando eique obsequium præbendo hac tua mentis integritate & virtute ipse te serves, & hoc fundamento nixus bonam spem de benevolo Numinis favore concipias. Accedit, quod immutata fidei notionem, etiam veneratio & cultus Christo debitus necessario immutetur, nec idem honor Christo ab iis, qui hac in parte diversa sentiunt, tribui & exhiberi possit. Qui Christum auctorem salutis agnoscit, & ipsi & gratiæ ejus omnia accepta refert, ac in ipsius gratuito munere unice acquiescit, procul dubio longe alio animo eum colit, aliumque honorem ipsi exhibet, quam qui ipsum duntaxat tanquam præcipuum doctorem, qui doctrina & exemplo suo nos ad virtutem instituat, miratur & veneratur. Jam si prior iste honor & cultus Christi a legatis ipsius introductus & præscriptus est; sane is, qui posteriori tantum ratione Christum intuetur, cultum & honorem a Deo constitutum ipsi haud exhibet. Hoc
vero



vero levisne momenti error esse possit; cum Christus ipse tam severe pronunciet, nullam religionem Deo probari, nisi verus & debitus cultus filio Dei exhibendus adsit? JOA. V, 23. Tandem & istud probe considerandum est, ab iis, qui veram fidei notionem everunt, viam ad ipsam veram virtutem integritatemque mentis, quam alias tam vehementer, & jure quidem, commendare solent, intercludi. Etenim talis animus, qui Deo servire studet, & ad virtutem se applicat ex sincero amore & obsequio erga Deum, pertinet ad Christi dona, & est pars salutis, quam Petrus hoc nostro loco nos a Christo expectare, ejusque gratiæ acceptam referre jubet. Utique nemo Deum amare potest, aut filiali fiducia in ipso acquiescere, aut vera mentis integritate promte ipsi servire, nisi qui de propitia Numinis voluntate erga nos certus est. Jam vero hoc totum in Christo duntaxat nobis conceditur, quatenus est iste quidem auctor salutis nostræ, & tanquam mediator nobis viam & accessum ad Patrem comparavit. Ex iis enim, quæ per Christum non docendo proprie, sed agendo & patiendo hominum causa gesta sunt, de propitia Dei voluntate paternoque affectu certi reddimur, ut plenam animi spem & fiduciam in ipso collocare possimus. ROM. V, 8. II. VIII, 31-39. I PETRI, I, 18-21. I JOA. IV, 9. IO. 14. 15. 16. 19. HEBR. IX, 14. In ipso Christo, ejusque persona, qualis sit, quidque gesserit, non in præceptis ipsius moralibus, manifesta nobis sit pleno lumine summa ista Dei gloria, quo Deum unum super omnia venerandum & amandum & inte-



gro mentis obsequio prosequendum, totaque vita nostra vero virtutis studio imitandum esse, intelligamus. 2 CORINTH. IV, 6. III, 18. utique igitur, ubi vera fides secundum apostolicam notionem est, etiam serium virtutis studium, & obsequium erga præcepta moralia animum occupat; sed ut fructus & effectus fidei, non ut ipsa fides. Quod si jam tollas istam notionem fidei, qua Christus ut auctor & dispensator justitiæ & vitæ intuitendus, in ejusque gratuito munere omnis spes & fiducia mentis de propitio Numine reponenda sit; tollis viam, qua quis ad novam istam animi affectionem, quæ Deo placet, & ad serium integrumque virtutis studium perducere & eniti possit: ac si addas, fidem in eo unice consistere, ut quis præceptis Christi moralibus obsequium præbeat, & per hanc fidem nos Deo probari acceptosque reddi; plane repugnantia dicis. Etenim prius de benevola propitiaque voluntate Dei, de venia peccatorum, de amore Patris erga nos peccatores, per eam fidem certus esse debes, quæ Christum intuetur tanquam auctorem salutis, veniamque & salutem & justitiam & jus filiorum Dei tanquam ipsius gratuitum munus ab ipso nobis comparatum acceptat, & in eo acquiescit, & hac fiducia animum hominis repletum ad Deum erigit, quam tu possis Deum diligere, in ipso gaudere & gloriari, ac ipsius voluntati totum te vero obsequio tradere & permittere. Quomodo igitur hæc fides, quam tu inducere cupis, nimirum serium virtutis studium secundum præcepta divina moralia, causa & fundamentum esse possit, quo nixus tibi pervadeas, veni-

veniam te apud Deum consecutum esse, & ab ipso benevolo favore respici; cum de his rebus mens jam certa & persuasa, & bona spe animata esse debeat, priusquam Deo filiali virtutis studio servire possit? Hac ratione studium istud rursus causa & fundamentum istius affectionis animi & istius fiducia sit, cujus fructus & effectus tamen est. Repugnant hæc quidem, nec ullam habent rectam rationem. Intelligimus igitur istos, qui eam fidei rationem, qua homo peccator in ipso Christo tanquam auctore salutis, ejusque gratuiti beneficiis ac mediatorio munere acquiescere, & hac una re confusus spem & fiduciam erga Deum concipere jubetur, ita ut Christus ipse tanquam mediator & auctor salutis, proximum objectum veræ fidei sit, tollunt, aliamque inducere audent, qua fides versetur in obsequio erga præcepta moralia, integra mente præstando, istos, inquam homines intelligimus fructum fidei cum ipsa fide improbe confundere, partem ipsius salutis, quam Christus donat, nimirum novam istam mentem, qua Deum diligimus ipsique obsequimur, pro causa salutis venditare, totamque viam vitæ ab Apostolis traditam. intervertere & præcipua sua parte, quæ fons & principium reliquarum est, truncare.

Jam cum apostoli totam salutem nostram ad ipsum Christum ejusque gratuitam dispensationem, non ad nostrum virtutis studium referunt, eumque hoc in negotio nobis commendant, quod sit auctor salutis, & veniam peccatorum donet, nosque in eum statum transferat, quo Deo accepti simus, ita ut ipsi totam salutem

lutem nostram debeamus, & per & propter ipsum unum de sublato peccato & de propitia Dei voluntate certi esse, & spem & fiduciam in Deo collocare queamus; utique ex reliqua doctrina sua id quidem tanquam rem notam & omnibus apertam assumunt, & in memoriam nobis revocare volunt, quoniam ex fundamento, aut qua ex ratione Christus talis fit, qui peccatoribus veniam & salutem condonare, eosque servare possit? quid gesserit nostri causa & effecerit, ut jus & protestatem habeat absolvendi reos, iisque veniam & vitam & justitiam concedendi? quibus itaque mentis notionibus fides nostra, quod Christi gratia servemur, niti & in iis recumbere debeat? Hæ enim quæstiones per se unicuique homini se offerunt, qui prudens & cum aliqua animi attentione magnum istud præconium, quo cum totius salutis nostræ causâ & negotio ad Christum ejusque gratiam ablegamur, audit: nec, nisi mens his notionibus imbuatur, ut intelligat quis & qualis sit Christus, ullo modo aut ulla recta ratione verum integrumque animi studium perfugiendi ad Christum, aut in ejus gratia spem & fiduciam nostram reponendi, gigni queat, sed cæcus foret mentis impetus religio Christianorum, omni fundamento & ratione destitutus. Sed & istud quivis intelligit, qui veritati studet, veroque mentis assensu & obsequio apostolorum doctrinam principium & fontem esse credit, unde rectas rerum ad religionem pertinentium notiones haurire debeamus, modum & rationem dirimendi & constituendi istas quæstiones non a nostro pendere arbitrio, nec nostro
inge-

ingenio definiri easdem posse, prouti nobis fortasse visum fuisset, si quidem nos ipsi christianam religionem excogitare, ejusque formam delineare debuissēmus. Hac enim ratione non istam traderemus religionem & cultum Christi, quam apostoli tradiderunt, sed nostra ipsorum mentis visa, & religionem a nobis ipsis excogitam. Ipsi igitur apostoli interrogandi, & sermones atque scripta ipsorum studiose, & sepositis cunctis ingenii nostri visis consulenda sunt, an quidquam & quid tandem his de rebus docuerint, aut quas mentis notiones nobis ad definiendas istas quæstiones suppeditaverint, & qualem denique Christi cultum & ex quibus rationibus nobis præscripserint?

Hoc igitur loco istud quidem omnium *primum* animadvertendum est, omnino apostolos definisse istas quæstiones, & certis ac præcise & accurate traditis notionibus constituisse, quomodo cogitandum & decernendum sit christianis de istis rebus? quis & qualis sit Christus, & quam ex ratione nobis per ipsum salus & accessus mentis ad Patrem fiducia plenus concedatur & contingat? quid gesserit, ut auctor & dispensator salutis esse possit, & quonam labore qualive opera totum istud effecerit? Quod nonnulli, nec Christum nec apostolos his de rebus certi quid constituisse aut præcepisse, comminiscuntur, sed cujusvis christiani arbitrio & ingenio permisisse, quam ex ratione hominum salutem Christo acceptam referre, & quibus ex causis ipsum venerari velit, tam est a vero alienum, ut quod magis sit absurdum, & iis, quæ in scriptura s. aperte narrantur,

tur, vehementius repugnet, vix quidquam facile cogitari possit. Recorderis, quæ Christus ipse JOA. III, 14. 15. 16. VI, 51. MATTH. XX, 28. XXVI, 28, alibique passim sollicitè discipulis reliquisque præcipit, & de causa & ratione, quare hominibus per ipsum vita & salus contingat, tradit ac decernit: ex ea minima ratione, quoniam se ipsum tradiderit mortemque subierit hominum loco, non nobis in exemplum patientiæ duntaxat, sed tanquam *λυτρον*, *pretium redemptionis pro nobis datum*, sive *satisfactorium*, & sanguine suo sanxerit novum fœdus remissionis peccatorum, quemadmodum pristinum sinaiticum pactum Dei cum Israelitis constitutum & firmatum sit sanguine sacrificiorum. Conf. EXOD. XXIV, 8. EBR. IX, 12. 14. 19. seqq. legas epistolâs apostolorum: ubique hi quidem eandem rationem & causam, propter quam Christus sit mediator, & quonam ex fundamento nobis veniam & salutem impertiatur, explicant & inculcant, & his ex causis nos Christum colere, ipsique confidere, & in hoc ejus labore & opera acquiescere jubent: informant hominum mentes perspicuis & luculentis notionibus, quomodo de iis rebus, quas Christus nostri causa gesit, ut nobis propitiâ voluntatem Numinis conciliaret, & compararet veniam & vitam, cogitandum & statuendum sit: appellant Christum auctorem & causam reconciliationis hominum peccatorum cum Deo, mortemque & sanguinem ipsius causam esse affirmant expiationis, qua expiata sint nostra peccata, *ἰλασηριον*, *ἰλασμος*: Christum contendunt mortem subiisse nostri loco, ut pœnam a nobis

nobis promeritam lueret, eaque omnia susciperet, quæ nobis peccatoribus pertimescenda & subeunda essent: ipsum decernunt totum istud reipsa complevisse & effecisse, quæ antea umbratilibus tantum & typicis sacrificiorum cæremoniis præfigurata erant, ut tanquam subiectum vicarium in nostrum locum substituere, in ipsumque transferetur culpa & pœna nostra, quo nos absolvi & impunes dimitti possimus: sanguinem ipsius, sive susceptos dolores, mortem, & effusionem denique sanguinis cum vita ipsa, esse propterea affirmant verum pretium pro nobis datum ad eximendos nos a sententia mortis & interitus, quam supremus iudex in peccatores pronuntiavit & constituit, *λυτρον, ἀντιλυτρον*, sive *veram satisfactionem*: his a Christo gestis rebus unice nixos nos, contendunt, Deum ut propitium Patrem tranquilla mentis fiducia intueri posse, qui condonaverit nobis omnia, quæ alias nobis pertimescenda erant, & paterno amore nos complectatur, nec quidquam, nisi quod bonum & salutiferum sit, nobis destinaverit: hinc Christum inquit pacem peccatoribus conciliasse, & hanc esse summam evangelii, ut ista pax per Christum peccatoribus a Deo alienatis, & sententia mortis oppressis annuncietur, quo ad Deum reverti fervarique possint: hac ipsa in re tradunt, FIDEM consistere, ut lætum istum nuncium de expiatis nostris peccatis, de sublata mortis sententia & de reconciliato Numine per istas res a Messia gestas, acceptemus, & his per evangelium promulgatis & oblatis beneficiis Christi & pollicitationibus confisi, tota mente a peccato et morte
exci-

excitemur, et ad Deum erigamur et revertamur: *objectum* itaque *fidei* constituunt apostoli ipsum Christum, ejusque mediatoriam operam, eatenus, quatenus pro peccatis nostris in mortem se tradididerit, sanguinemque suum ad satisfaciendum pro nobis effuderit, ut hac quidem ex causa et his ex rationibus spem et fiduciam in Deo collocare possimus, et tranquillitas mentis et conscientiae nobis reddatur. Conf. ROM. III, 24. 25. IV, 24. 25. V, 9. seqq. 15. seqq. VIII, 3. 32. seqq. X, 9. ff. 1 CORINTH. XV, 3. 2 CORINTH. V, 15, 21. GALAT. III, 13. EPHES. I, 7. 9. 13. II, 17. 18. III, 12. V, 2. COLLOS. I, 21. 22. 23. 1 THES. I, 10. TIT. II, 14. EBR. VII, 24. seqq. IX, 11. seqq. 22. seqq. X, 10. 11. 12. 14. 19. seqq. 1 PETRI, I, 2. 18. 21. II, 24. 1 JOA. I, 7. II, 2. IV, 9. 10. et sexcenta alia hujus generis loca, quae in epistolis apostolicis facile cuivis cordato lectori occurrunt, quibus natura officii mediatorii declaratur, et quid sit istud, quod Christus gesserit, ut ipsius gratia nobis vita et salus condonari possit. *Deinceps* et illud perspicuum est, apostolos has notiones, haecque principia, quomodo de Christo, ejusque officio, beneficiisque ab ipso nobis comparatis, statuendum sit, inter prima statim disciplinae elementa iis tradidisse, qui ad christianam religionem accedebant. Ex paucis istis et perbreuibis fragmentis, quae in Actis apostolicis de sermonibus apostolorum a *Luca* referuntur, statuere velle, quod nonnulli videntur facere, apostolos discipulis suis nullas alias notiones ad informandam ipsorum intelligentiam, nullaque alia decreta ad credendum proposuisse, praeter ista

ista, quæ in illis sermonibus differtis verbis commemorantur, admodum ineptum foret. Patet admodum perspicue multis ex indiciis et argumentis, quæ in ipsis Actis apostolorum passim occurrunt, longe aliter institutionem eorum, qui christiani fiebant, ab ipsis peractam fuisse. Utique apostoli, cum cœtum quendam rudium & a disciplina christiana adhuc alienorum hominum sive judæorum, sive gentilium, alloquerentur, primum istis tantum rebus et effatis animum ipsorum aggrediebantur, quæ in universum his ipsis hominibus adhuc quodammodo nota erant, & ab ipsis capi & intelligi poterant, & ab his initiis profecti eo auditores primum perducere studebant, ut intelligerent, divinam quandam disciplinam ab apostolis tradi, quæ eo pertineret, ut Jesum Nazarenum agnoscerent servatorem mundi, per quem ipsis gratia Numinis & venia peccatorum offeratur, ut mentem igitur mutant, oblatam conditionem acceptent, & a sceleribus & vanis rebus toto animo revertantur ad unum verum Deum, ejusque cultum. Conf. ACT. XXVI, 17. 18. Quam primum vero hujus generis compellationes generaliores apud nonnullos locum inveniebant, animumque convincebant, apostolos esse legatos vere divinos, qui supremi Numinis auctoritate hominibus veram religionem cultumque Dei, rectamque salutis rationem annuntiarent, cumque ii, qui ita animati erant, ad apostolos se aggrebant, disciplinæque & institutioni eorum se tradebant, ut christiani fierent; continuo apostoli uberiori lumine præcipua doctrinæ christianæ capita
c &

& dogmata illustrabant, & declarare incipiebant, quomodo de his rebus christianis sentiendum statuen- dumque sit, quidque in tota vita sequi debeant. Alias ineptum certe foret, quod *Lucas* refert, novos christia- nos quotidie coiisse eo animo, ut ab apostolis doctrina christiana imbuerentur, ACT. II, 42; si quidem nihil aliud ipsis in his concionibus traditum fuisset, nisi per- petua & infinita repetitio generalium & perbrevium istarum formularum & vocum, quæ in primo alloquio Petri, paullo ante a *Luca* commemorato, continebantur, nec uberior declaratio istarum rerum, quas paucissi- mis verbis tantum innuerat quasi Petrus, necessaria fu- issent reputata. Simili modo res gerebatur ubique lo- corum in Actis apostolicis, ubicunque apostoli novos cœtus collegerant, ut ad uberiores ipsorum institutio- nem cuncta ordinarent & transferrent. Conferas ex- gr. cum brevi ista relatione Lucæ, ACT. XVII, 1. seqq. quid Paulus Thessalonicensibus primum proposuerit, ea, quæ ipse Paulus in utraque epistola ad hanc ecclesiam data se Thessalonicensibus tradidisse refert, 1 THES. III, 4. 2 THES. II, 5. Hinc alio loco Paulus iis, inquit, qui ad christianam religionem accesserant, propositum fuisse *τυπον* quendam *διδασχης* & *ὑποτυπωσιν* aliquam, *formam & delineationem quandam rerum ad religionem perti- nentium*, quæ utique ipsis ita proposita sit necesse est, ut eam intelligere, quomodoque de his rebus sentien- dum sit, statuere possent. Conf. 1 TIM. I, 3. IV, 13. 2 TIM. I, 13. 14. II, 2. EPHES. IV, 11. seqq. Jam quem- admodum hoc loco ista cogitatio sponte cujusvis pru- dentis

dentis hominis animum subit, quæ tandem fuerint ista elementaria doctrinæ capita, & qualis fuerit *τυπος* iste atque *ὑποτυπωσις*, sive ista religionis christianæ forma, quasque notiones & dogmata complexa sit? ita rursus perabsurdum & a recta ratione alienum foret, si quis has quidem quæstiones suo ex arbitrio definire, aut quoniam ipsi sic placet, discernere velit, nullam hic dogmatum theoriam, nullas notiones ad informandam intelligentiam traditas fuisse, cuncta rediisse ad nonnulla morum præcepta, quæ proxime ad dirigendam vitam pertinerent, quomocunque cæterum christiani, quod ad mentis conceptus attinet, de rebus propositis sentire voluerint. Res ipsa & recta ratio postulat, ut & hoc loco apostolos ipsos eorumque scripta consulamus. Jam vero apostoli disertissimis verbis docent & affirmant, ista dogmata & notiones, quæ Christum ejusque divinam personam officiumque mediatorum concernunt, quod Christus vere morte & sanguine suo nostra peccata expiauerit, sitque verum Deoque acceptum sacrificium nostri loco, & his ex rationibus nobis condonari peccata, nosque in gratiam Dei recipi numeroque filiorum Dei adscribi, hæc, inquam dogmata, hasque notiones apostoli affirmant, ad primas elementaresque doctrinas pertinuisse, quibus Christianos imbueri studuerint, & his quidem totam fiduciam christianorum de recuperato favore Numinis, omnemque religionem & cultum Dei superstructum fuisse. Paulus docet 1 CORINTH. III, 10. II, doctrinam de Christo continere fundamentum christianæ religionis & fidei,

huc ab ipso se omnia, quæ tradiderit, fuisse relata, nec aliter fieri posse aut debere, si quis verus christianus esse velit. Conf. *Cap. II, 2.* Jam ipsum apostolum interroges, an iste has doctrinas, Jesum esse Mesiam & servatorem, fortasse vocibus indefinitis, generalioribus & ambiguis tradiderit, sine luculenta declaratione, quibus ex causis & rationibus id quidem statuendum sit, aut quibus rebus gestis Jesu Mesiaë totum istud nitatur? an acquieverit ipse, dum quis in universon duntaxat admitteret, nos per Jesum Mesiam servari, quomodo-cunque cæteroquin de modo & ratione, quomodo id quidem contingat, sentiret, aut quascunque tandem notiones, cur & quo consilio Jesus Mesias ad servandos nos mortem subierit, mente conciperet? At enim vero hac quidem via apostolus in instituendis corinthiis nullo modo progressus est. In eadem epistola *priori ad Corinthios, Cap. XV, 3,* idem apostolus, in primis religionis christianæ initiis hoc quidem a se Corinthiis traditum fuisse affirmat, *quod Christus pro peccatis nostris mortuus sit secundum scripturas, & quod deinceps secundum easdem scripturas resurrexerit.* Imbuit igitur Corinthios a primis statim initiis accuratis & definitis notionibus & sententiis, qua ratione quave ex causa Christus sit fundamentum fidei & spei & salutis nostræ, quomodoque de Christo hoc in negotio, ejusque rebus gestis sentire debeant, nimirum ista ex ratione eoque ex fundamento istud accidere, quoniam nostri loco Christus peccata nostra eorumque pœnam suscepit, & nostro loco mortem, tanquam peccati stipendium

dium a nobis promeritum perpeffus fit, & ad indubitam confirmationem expiationis & fatisfactionis plenariæ, a fe præftitæ, e morte rurfus ad vitam redierit. Aliam interpretationem voces ὑπερ των ἀμαρτων ἡμων, *pro peccatis nostris*, propter adjectum κατα τας γραφας, *secundum scripturas*, non admittunt. Etenim apoftolus iftas res Corinthiis a fe propositas fuiſſe inquit, prouti iftæ quidem in ſcripturis V. T. traditæ & ſacrificiis piacularibus imprimis præfiguratæ ſint, & de Meſſia prænunciatum ſit, traditurum ipſum ſe in mortem tanquam piaculum pro peccatis noſtris, ut pœnam eorum noſtro loco lueret, noſque a culpa & pœna in Chriſtum translata liberati, Deo reconciliaremur. Hac quidem ratione ipſe Paulus iftas voculas ὑπερ ἡμων & ὑπερ των ἀμαρτιων ἡμων ubique locorum cunctisque epiftolis ſuis interpretatur, ut oſtendat, hoc ipſo animo intuenda eſſe ſacrificia V. T. quod ea, quæ a Meſſia ad expiandos Deoque reconciliandos peccatores præſtanda forent, præfiguraverint, & hoc ipſum eſſe illud, quod Jeſus Meſſias morte & ſanguine ſuo vere & accurate præſtiterit, quo per ipſum a condemnatione promerita liberaremur. Conf. ad HEBR. VII, ſeqq. & reliquam integram hanc ad *Hebræos* epiftolam. It. 2 CORINTH. V, 15. 21. GALAT. III, 13. His præciſis & accurate definitis notionibus deinde apoftolus, fiduciam Corinthiorum de impetrato favore Numinis & de venia peccatorum ſuperſtruxiſſe ſe affirmat, quod virtute illius expiatoriæ mortis Chriſti, cujus argumentum & ſignaculum ſit inſecuta reſurrectio, a Deo

in gratiam recepti certaque spe futuræ beatæ immortalitatis donati sint. Conf. vers. 14. 16. 17. 18. Accedit; quod inter epistolas Pauli binas certe habeamus ad ejusmodi ecclesias scriptas, quas non ipse, nec alius quisquam apostolorum plantaverat, sed alii nonnulli christiani & discipuli apostolorum, qui pasim christianam religionem propagare studebant, collegerant. Hujus generis epistola est ad Romanos, quod omnes interpretes fatentur. Conf. CAP. I, 8. seqq. Item epistola ad Colossenses, vid. CAP. I, 4-8. CAP. II, 1. Hæ ecclesiæ itaque apostolo hætenus ignotæ erant, ut accurate scire haud posset, quousque præter primas & elementares doctrinas christianæ religionis in cognoscendis sublimioribus rebus progressæ jam sint, nec aliter cum iisdem agere, aut alias rationes ad ipsorum adhortationem admonitionemque transferre poterat, quam tales quidem, quales cunctis, qui ad christianorum religionem accesserant, christianorumque nomen amplexi erant, ab initio statim traditas omniumque mentibus instillatas fuisse, notum certumque erat: nec enim quidquam de ipsorum statu certi noverat, nisi christianos ipsos veramque christianorum religionem sincere amplexos esse. Conf. ROM. I, 8. Jam si attente perlustramus has epistolas, utique, dummodo animum sincerum, a præjudicatis opinionibus vacuum, & veritatis amantem afferamus, agnoscere & fateri cogimur, ubique apostolum istam de Christo doctrinam, istasque præcisas & accurate definitas notiones, tanquam res cunctis christianis per pri-

primam statim institutionem notissimas tractasse, & fundamenti loco posuisse, quod Christus sit redemptor & servator hominum peccatorum, veniamque suo nomine & auctoritate peccatoribus promulget & conferat, ista quidem ex ratione, quoniam morte & sanguine suo peccata nostra vere expiauerit, nostri loco mortis sententiam tanquam peccati stipendium subierit, sicque nos peccatores a culpa & pœna liberaverit, Numenque propitium nobis reconciliauerit. His ex principiis & notionibus & sententiis deinceps apostolus ipsa officia nostra, quid Deo & Christo debeamus, veram rationem colendi Deum, mentisque & morum sanctimoniam & castitatem concludit, nimirum ex morali communione cum iis, quæ Christus nostri loco perpessus est, sive ex imputatione eorum, quæ Christus gesit. Vid. ROM. III, 19. 22. seqq. IV, 25. V, 6. seqq. 15. seqq. VI, 1. seqq. VII, 4. seqq. VIII, 31. seqq. COL. I, 12. seqq. II, 6-10. 13. 14.

Cum adhuc plura supersint, quam quæ limitibus, huic scriptioni destinatis, concludi queant; hæc in præsentia sufficiant: reliqua, iuvante Deo, proxima occasione absolvemus. Unum istud superest, CIVES, ut vos de memoria nati servatoris mundi ita celebranda moneamus, ne ipsis factis hanc preciosam doctrinam de redemptione vestra per sanguinem Christi, abrogare & ignominia afficere videamini. Nec enim, si vel summo studio doctrinæ puritatem, quod ad voces orisque professionem attinet, addiscere & retinere studeatis, quidquam proficietis,



tis, nisi ex ipsa vita vestra cunctis constet, vos re ipsa ex peccatorum servitute impurarumque cupiditatum amore, pristinoque scelerato vitæ genere, per Christum ereptos & in beatam libertatem filiorum Dei translatos esse. Quid si quis jam vos videat per hos festos dies, & in reliqua vestra vita in cunctis scelerum flagitiorumque generibus volutari, brutorum instar grassari, ipsum externum jus & fas violare, nec vel externam morum honestatem servare? vosne quisquam christianos, morte & sanguine Christi redemptos, supremo Deo ejusque cultui vindicatos existimare possit? Cavete igitur animis vestris, hosque dies ad istud transferte, ut pristinos mores flagitiis contaminatos deploretis, totamque mentem ad Christum erigatis, quo sanctissimæ doctrinæ de ipsius incarnatione & rebus ad salutem vestram ab ipso gestis vim & virtutem animis vestris per verbum & Spiritum suum infundere, totamque vitam vestram ad veram sanctitatem renovare possit!

P. P.

BUETZOVII, IN ACADEMIA FRIDERICIANA,
 IPSIS NATALITIIS CHRISTI,
 MDCCLXXIV.



